

Ball. P. (n. 260 seqq.) subjiciemus, quae juvent praesertim ad mentem legislatoris prudenter investigandam.

1^o Spectanda est vis praeceptorum quorum alia graviores, alia leviores causas ad excusandum exigunt. Leges enim naturales obligant ad adhibenda omnia media observandae legi necessaria, nisi magnam difficultatem per accidens secum trahant; positivae vero leges saepe, ob voluntatem legislatoris nihil amplius exigentis, obligant tantum ad vitanda vel tollenda quaedam impedimenta intime cum observantia legis conexa. (Castrop. de Leg. l. disp. 21) Sic facilius poterit poni impedimentum quo impossibilis fiat Missae auditio quam muneris exsecutio.

2^o Consideranda necessitas vel utilitas impedimenti. Sic a Missa audienda excusabit labor ultro susceptus ad extinguendum incendium, non vero ad theatrum parandum.

3^o Considerandum utrum impedimentum proxime an remote tantum impediatur ne impleatur praeceptum. Sic licet iter arripere, etiam sine peculiari causa, quamvis hoc praevideatur impedimento fore ne, post aliquot dies, praecepto Sacri audiendi satisfiat. Non licet iter ob meram recreationem aggredi, quando jam instat hora Sacri audiendi. Limitem autem quo secernantur impedimenta proxima a remotis accurate determinare difficillimum est. Juxta Lehmkuhl (I. n. 158): "Praecepta seu leges quarum obligatio saepe recurrit, ut jejunium, abstinencia, assistentia Missae sacrificio, tum tantum prohibent quominus impedimentum indirecte ponatur sine justa causa, quando jam fere instat dies obligationis, summum pridie tempore pomeridiano. "Ita iter, quo impediatur Sacri auditio, liceret ingredi e mera voluptate, toto die Sabbati usque ad unam alteramve horam ante diem Dominicam. (Gury, I. n. 111)

4^o Considerandum utrum impedimentum per se et intrinsece ad rei praeceptae materiam pertineat, ut si desit breviarium ad officium canonicum recitandum, an per accidens et remote tantum, ut si desit valetudo sufficiens ad eandem recitationem. Ita peccat contra praeceptum officii divini recitandi qui breviarium, quod unicuique habeat, in mare projiciat, non autem qui se imprudenter pluviae exponens, morbum contrahit quo ab officio recitando impediatur.

5^o Sententia communior est: semper reum esse violatae legis eum qui apponit impedimentum etiam remotum cum directa intentione ut a lege, ex. gr. Sacri audiendi, excusetur. (La Croix, l. 1. de Leg. n. 784) Jus enim Romanum prohibet ne quid in fraudem legis fiat: quod etiam legibus canonicis et, a fortiori, legi naturali applicandum est. (S. Alph. l. 4. n. 104; D'Annib. l. n. 171. nota 60) Attamen, ubi certo constat actionem externam esse licitam, ex. gr. iter suscipere duobus diebus antequam urgeat obligatio audiendi Sacri, existimamus probabilem esse plurium AA.

sententiam (Tambur. Expl. Dec. l. 4. c. 2.; Salmant. de Leg. n. 164): non violari legem positivam ab eo qui directe intendit tali impedimento a lege implenda excusari. Nam, cum utatur jure suo, non apparet cur ejus intentio dicatur inhonesta magis quam intentio exeuntis e territorio animo vitandae legis particularis. Aliud sane dicendum de casu quo lex ex. gr. abstinenciae proxime urget. Qui enim tunc ex industria impedimentum ponit, ex. gr. curando ut ad prandium invitetur ubi nihil praeter carnes apponetur, manifeste legem eludit, et ab omnibus timoratis fidelibus legem violare censebitur.

CAPUT IV.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

§ I. DE NATURA ET AUCTORE DISPENSATIONIS.

117. DEFINITIO. Dispensatio est exemptio alicujus ab obligatione legis, facta a legislatore aut ab eo qui ab ipso hanc potestatem accepit. Supponit ergo legem universe manere cum sua vi obligandi, sed, propter voluntatem Superioris, transeunter vel etiam modo stabili jam non adstringere personas aliquas particulares.

Differt a *licentia*, quae legi consentanea potius quam contraria est. Ex. gr. si lex vetat ne religiosus domo egrediatur sine Superioris licentia, is qui licentiam petit non petit legis relaxationem, sed legem observat. Quare ad licentiam concedendam non requiruntur eadem condiciones atque ad dispensandum.

Sedulo quoque distinguatur oportet dispensatio a *declaratione exemptionis*. Prior enim pertinet ad eandem potestatem jurisdictionis qua legis obligatio inducta est, posterior vero, sine ulla potestate dominativa vel jurisdictionis, a privato fieri potest, ex. gr. a medico qui declarat ita nocere posse jejunium huic homini debili ut ab eo servando excusetur. (Ball. P. n. 286 seqq.)

Potest dispensatio concedi *expresse* et *tacite*. Expresse, quando verbis vel aliis signis manifestis datur; tacite, quando prudenter colligitur ex aliqua actione Superioris, ex. gr. e collatione beneficii ab episcopo facta clerico quem excommunicatum esse novit, vel ex ejus silentio quando scit inferiorem agere contra legem et facile contradicere posset. (n. 10) Numquam autem sufficit praesumptio de futuro, nixa persuasionem quod Superior dispensationem, si peteretur, concessurus

esset. Hinc patet iterum discrimen dispensationis et licentiae. Ratio ejusdem, juxta Suarez (de Leg. l. 6. c. 13. n. 20), in eo est quod, ubi vetatur aliquid fieri sine licentia, actio non est simpliciter prohibita, sed solum ut non fiat absque Superioris voluntate, quae condicio extenditur, ex communi usu et prudenti ratione, ad voluntatem praesumptam. Ubi vero agitur de dispensatione, actio supponitur absolute prohibita et ob eam rationem mala, et ideo de praesenti necessaria est aliqua voluntas quae prohibitionem et consequenter malitiam auferat.

Potestas dispensandi, sicut quaelibet ecclesiastica facultas, potest esse *ordinaria vel delegata*. Ordinaria est quando habetur jure proprio seu vi officii quod quis obtinet, ex. gr. episcopi vel parochi; delegata est, quando non habetur vi proprii officii, sed ex beneficio et commissione alterius exercetur. Inter delegatos autem eminent qui vocantur *delegati ad universitatem causarum*, eo quod ipsis vel omnes universim causae vel saltem certum genus causarum, ex. gr. matrimonialium, committuntur. (Reiffenst. in l. 1. Decret. t. 28. n. 17 seqq.) Hi proxime accedunt ad habentes potestatem ordinariam. Plura alia, quae Canonistae de hac divisione potestatis ecclesiasticae ad h. t. tradere solent, omitemus, cum ad forum externum et potissimum ad judicia ecclesiastica pertineant; ceterum saepe alii alium sensum iisdem vocibus affigunt. (Aichner, op. cit. § 24. nota 6)

118. PRINCIPIA. I. Legislatores dispensare potest valide in lege propria vel praedecessorum suorum, etiam sine justa causa.

Ratio est quod causa obligationis est legislatoris voluntas; hac retractata, cessat eo ipso effectus seu obligatio. Hoc verum manet etiamsi legislator voto vel juramento se ad non dispensandum obligasset: nam haec vincula faciunt quidem dispensationem illicitam in materia religionis, sed potestatem non adimunt.

II. Inferior nullam habet potestatem dispensandi in lege Superioris nisi quam ab eo delegatam habeat. Cum autem Superior non communit eam facultatem nisi ut dispensetur ob justas causas, dispensatio facta sine justa causa ab eo qui habet tantum delegatam facultatem est irrita.

III. Romanus Pontifex dispensare potest:

1° In quibusdam legibus divinis, saltem probabiliter, quamvis multi hanc *proprie dictam* potestatem dispensandi Papae denegent, eo quod nullibi talis concessio facta reperitur. (S. Alph. n. 189) Haec tamen controversia potius ad modum loquendi quam ad realem potestatis extensionem refertur. Omnes enim conveniunt tolli posse per auctoritatem S. P. vincula quae ex jure divino oriuntur, ut vota, juramenta,

matrimonium ratum, etc. Sed posterioris sententiae fautores negant in tali relaxatione juris divini contineri proprii nominis dispensationem. (Ball. P. n. 290 seqq.) Haec autem extra dubium sunt: hujusmodi relaxationem voti, juramenti, vinculi e matrimonio rato oriundi esse nullam, si sine justa causa fiat (Princ. II); insuper hanc potestatem non extendi ad ea quae traditio probat esse prorsus immutabilia, ut vinculum matrimonii inter Christianos consummati.

2° In omnibus legibus ecclesiasticis, etiam in Concilio Oecumenico latis, cum habeat potestatis ecclesiasticae plenitudinem.

119. IV. Episcopi de jure ordinario, seu vi muneris episcopalis dispensare possunt:

1° In omnibus legibus suis vel antecessorum suorum, etiamsi in Synodo dioecesana latae sunt, cum etiam illae solius episcopi auctoritate sanciantur.

2° In decretis Concilii Provincialis vel Nationalis, nisi dispensatio in antecessum reservata sit. Ita probabiliter sentiunt Barbosa, Suarez, de Angelis, Aichner contra Ferraris, Bouix, etc. Cfr. Aichner, op. cit. § 118.

3° In legibus communibus quarum observatio crebro recurrit. Id enim et boni communis ratio postulat et consuetudo ratum habet. Talia censentur jejunium, abstinentia, observatio festorum, recitatio officii, vota non reservata.

4° Quando facultas dispensandi episcopis in ipso jure communi tribuitur, vel expresse, ut in quibusdam irregularitatibus et in censuris occultis quae non reservantur speciali modo R. P., vel implicite, ubi in lege additur *nisi dispensetur*: talia enim verba frustra adderentur si de solius R. P. dispensatione intellegenda forent. (S. Alph. n. 190)

5° Quando difficilis est recursus ad R. P. et periculum est in mora. Tunc dispensare potest episcopus etiam in rebus quae non frequenter contingunt, ex. gr. in irregularitatibus, in votis reservatis et similibus. (S. Alph. ib.)

6° Quando dubitatur num casus dispensatione indigeat. (S. Alph. n. 192) Tunc dispensatio episcopi datur tantum *ad cautelam*, cum possit, absolute loquendo, unusquisque uti opinione probabili. Consultius tamen ad episcopum recurritur, praesertim ab indoctis qui facile hallucinari possunt. (Ball. P. n. 287)

Praeter illas facultates ordinarias, solent habere episcopi adhuc ampliores, quae ipsis non ex munere, sed ex speciali et temporanea S. Sedis concessione competunt. Hae pro variis locis et argumentis conceduntur ad quinque, decem vel quindecim annos.

Ordinarias facultates, secundum Juris principia, aliis delegare possunt. Pariter, juxta resp. S. Inqu. 17 Dec. 1898, quo controversiae de hac re viginti finis impositus est, potest episcopus dioecesanus subdelegare,

absque speciali concessione, suis Vicariis Generalibus, aut aliis ecclesiasticis viris, generali modo vel pro casu particulari, facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas. dummodo id in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi jus pro aliquibus tantum coartetur : in hoc enim casu servanda erit ad amussim forma rescripti. (Act. S. S. t. 31. p. 384)

Tandem juvabit notasse eum qui ab uno Ordinario obtinuit dispensationem in lege communi, ob motivum quod non sit proprium territorio dispensantis, sed personae dispensati, posse eadem dispensatione uti ubique, puta ad manducandas carnes diebus abstinentiae ob causam debilitatis. Ratio est, quia privilegium mere personale adhaeret personae dispensatae, ideoque eam comitatur quocumque perrexerit. (Schmalzgr. in l. 5. Decr. t. 33. n. 111)

E principiis I et II manifeste sequitur episcopum invalide dispensare, sine justa causa, in omnibus legibus hic recensitis, iis tantum exceptis, quae sub 1^o numerantur.

120. V. Parochi cum ovis suis dispensare possunt in legibus jejunii, abstinentiae et observationis festorum, etiamsi facilis recursus ad episcopum patet. Hanc autem facultatem, utpote ordinariam, aliis delegare possunt. (Ball. P. n. 287)

Confessarii autem, extra casum specialis concessionis, nullam dispensandi facultatem habent; possunt tantum declarare rationem quamdam sufficere ad excusandum a lege.

121. QUAER. I. Num Superior secum ipso dispensare possit.

RESP. Distinguendum inter ipsum legislatorem et Superiorem subordinatum. Prior probabilius subicitur tantum vi directivae, non coactivae legum suarum : quare, secluso gravi scandalo aliorumve damno, venialiter tantum peccat ubi, sine justa causa, legem propriam non servat. Nulla autem videtur manere obligatio si rationabilem causam habeat ob quam se communitati non conformet. Vel si manet obligatio (ut aliis placet) secum ipso dispensare potest : quia exercitium jurisdictionis voluntariae non requirit distinctionem personarum. Qui autem, potestate ordinaria vel delegata, in legibus Superioris dispensant, possunt hac facultate etiam in sui favorem uti. Quod praestare possunt vel directe secum ipsis dispensando, vel facultatem dispensandi alii viro prudenti, ex. gr. confessorio, committendo. (Bouquil. Th. Mor. fund. n. 170)

QUAER. II. Num episcopus dispensare possit cum peregrinis.

RESP. Probabile est hanc facultatem ei competere erga eos omnes qui, etiam sine animo diutius commorandi, in ejus dioecesi versantur, eamque extendi non solum ad leges communes. ex. gr. abstinendi ab operibus servilibus, sed etiam ad vota et juramenta. Rationes varias afferunt AA. Quidam (cit. a S. Alph. n. 158) innituntur vinculo subjectionis quo autumant, per accessum etiam unius diei, peregrinum cum episcopo loci ligari. Unde sicut, eorum sententia, tenetur loci illius legibus, aequum est ut gaudeat ejusdem privilegiis. Alii, ut Ball. P. (n. 200), rectius recurrunt ad consensum episcopi proprii peregrinorum, qui supponendus est velle ut subditi sui, etiam in alieno territorio, gaudeant hac facultate quae omnibus ubique in promptu esse debet.

Similiter opinamur parochis inesse facultatem dispensandi cum peregrinis in sua parochia commorantibus : nam par est ratio. Id tamen non est extendendum ad incolas alienae paroeciae qui ad propriam redierunt : id enim, ob summam facilitatem adeundi alias paroecias, confusionem et dissidia gigneret.

QUAER. III. Num episcopus dispensare possit cum Regularibus exemptis.

RESP. Per se id nequit, cum Regulares aliive Religiosi exempti non sint ejus subditi, neque privilegio suo renuntiare possint ut se episcopo subdant. Attamen, ne quod in eorum favorem concessum est in ipsorum detrimentum retorqueatur, possunt, cum Praelati sui consensu, uti episcopalis dispensationibus. Immo, ubi episcopi non dispensant auctoritate propria, sed tantum promulgant dispensationes nomine Sedis Apostolicae, ut contingit in annuis indultis quadragesimalibus circa observantiam ciborum, iisdem uti possunt omnes Regulares qui speciali voto ad has observantias non tenentur. (S. Off. 20 Dec. 1871) Hae enim sunt dispensationes Pontificiae potius quam episcopales. (1) Quare si horum Regularium Superiores vetant ne subditi talibus dispensationibus utantur, haec prohibitio obligabit tantum sicut reliqua Superiorum mandata.

Ceterum cum singulis Regularibus possunt Praelati eorum, etiam locales (nisi aliter in ipsorum Constitutionibus definiatur), dispensare in legibus Ecclesiae communibus, ut abstinentiae, observationis festorum, Horarum Canoniarum, etc. Habent enim hujusmodi Praelati in suos potestatem quasi episcopalem. Eandem vel etiam ampliorem facultatem solent quoque habere per specialia privilegia. (Lehm. l. n. 165 seqq.)

(1) Cfr. Piat. Prael. J. Reg. l. p. 385, (1^a edit.) ubi allegatur responsum S. Officii in hunc sensum.

§ 2. DE CAUSIS DISPENSATIONUM.

122. PRINCIPIA. I. Ut Superior licite concedat et inferior licite petat dispensationem, requiritur justa causa.

Ratio pro Superiore est, quod dispensando sine causa committit vitium *acceptationis personarum* et querelis locum praebet; pro inferiore vero, quod Superiorem ad rem illicitam inducit. (Ball. P. n. 273) Attamen si dubitatur num causa sit justa, licet dispensationem petere et concedere: secus enim durissimum onus Superiori et inferioribus imponeretur, cum in moralibus tam crebro hujusmodi dubia solvi nequeant. (S. Alph. n. 178)

Per se venialiter tantum peccat legislator sine justa causa in lege sua dispensans, quamvis interdum grave peccatum fieri posset ob damna et mala magni momenti, quae ex dispensatione arbitraria praevideantur secutura. Similiter dicendum de subdito qui tali dispensatione uteretur, quippe quae, cum valida sit, tollat legis obligationem. (S. Alph. l. e.) Verum, ob contrariam rationem, graviter peccat inferior praelatus qui, sine justa causa, in lege Superioris graviter obligante dispensationem concedit, et subditus qui eadem utitur. Semper tamen praesumendi sunt Superiores ob justam causam dispensare, donec contrarium evidenter pateat.

II. *Justa* censetur causa dispensandi quae nec tanta est ut per se a lege eximat, nec tam levis ut censeatur personarum acceptio aliquam partem communitatis propter talem causam a generali obligatione eximere.

Desumi autem potest justa causa non tantum ex incommodo quod alicui e legis observatione oriatur, sed etiam a majore bono obtinendo, a personae dispensandae meritis, etc. (Ball. P. n. 280) Nulla tamen generali regula haec justa mensura determinari potest. Plurima enim inspicienda sunt in singulis argumentis, ex. gr. utrum lex majoris an minoris sit momenti, utrum bonum commune in his locis et temporibus severitatem an benignitatem postulet, etc. Quandoque etiam durities cordis seu metus gravioris mali ad facilius dispensandum impellet.

123. III. Quotiescumque in petenda gratia, *dolose* i. e. per fraudem vel malitiam falsitas exprimitur vel veritas reticetur (1), rescriptum

(1) Multi AA. distinguunt inter subreptionem seu suppressionem veri et obreptionem seu expressionem falsi. Haec tamen distinctio nullius momenti est, cum juridice in eodem censu ponantur reticentia veri et expressio falsi.

et quidem probabilius quoad omnes suas partes, invalidum est. Etenim Decr. l. 1. t. 3. c. *Super litteris*, statuit Innocentius III de iis qui dolo utuntur: " Quod ipsi, in suae perversitatis poenam, *nullum* ex illis litteris commodum consequantur. „ Attamen pro foro saltem interno, probabilis est sententia Sanchezii (de Matr. l. 8. disp. 21. n. 70) et aliorum docentium per hujusmodi dolum illud tantum vitiari capitulum in quo adhibitus sit, non item aliud a priori separatum penitusque independens.

Quando per simplicitatem vel ignorantiam falsitas exprimitur vel veritas reticetur in petenda gratia, rescriptum vitiatur tantum si error versatur circa causam *motivam* seu *finalem*, i. e. talem ut, cognita veritate, rescriptum non fuisset concessum; rescriptum manet validum si error versatur circa causam mere *impulsivam*, i. e. talem ut, veritate cognita, rescriptum nihilominus fuisset concessum.

Quaenam causa finalis et quaenam impulsiva dicenda sit, praesertim *e stylo curiae* dijudicandum est. Si, investigatione facta, dubium manet, praesumitur impulsiva: quia in dubio standum est pro valore actus. Ita pariter communis doctrina Canonistarum ex eadem decretali. (Reiffenst. l. c.) Hinc si in rescripto una tantum causa allegatur eaque falsa, dispensatio nulla est: nequit enim Superior supponi dispensare absque causa. Idem dicendum si plures causae allegatae tantum copulative sumptae, e stylo curiae, ad dispensandum sufficerent et partim falsae forent. (Ball. P. n. 354)

IV. Dispensatio metu extorta valet, dummodo justa sit dispensandi causa. Excipitur tantum casus quo constaret Superiorem rescriptum dedisse sine animo dispensandi. (S. Alph. n. 184) Ratio est quod metus, jure naturae, voluntarium non tollit, neque ulla lege positiva tales dispensationes irritantur. Si tamen metus injuste incussus fuisset, liberum foret Superiori dispensationem revocare.

§ 3. DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

124. Triplici ratione cessare potest dispensatio jam concessa vel etiam in usum deduci coepta: cessatione causae motivae, revocatione Superioris, renuntiatione dispensati a Superiore acceptata.

I. Cessante totaliter causa motiva, cessat quoque dispensatio quam Superior voluit concedere tantum sub tacita condicione *si causa perduret*; non cessat ea quae absolute concessa est.

Non raro autem difficile est discernere utrum sub illa condicione an

absolute concessa fuerit. Saepe ad stylum curiae, consuetudinem et probatos auctores recurrendum erit. Regulam hanc tradit Suarez (de Leg. l. 6. c. 20. n. 18) : Cessante causa motiva, cessat dispensatio quae non ita datur ut statim totum vinculum legis auferat, sed potius ita ut illud successive auferat prout successive ipsa lex obligaverit. Sic desinit dispensatio a jejuniis quadragesimali data ob morbum, quando hic penitus cessavit. Idem dicendum de dispensatione indefinite data in abstinentia, recitatione breviarii et similibus. Nam in tali materia nequit justa esse causa dispensationis nisi quatenus habet *tractum successivum* cum ipsa lege. — Absolute autem et independentem a duratione causae motivae datur dispensatio “ quae statim *tota simul* conceditur et habet quasi indivisibilem effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum aut votum. „ (Suar. ib.) Ita manet dispensatio in impedimento consanguinitatis data et ab exsecutore executioni commissa ad legitimandam prolem e commercio incestuoso susceptam, licet infans moriatur antequam dispensati matrimonio uniantur, neque ulla alia causa motiva allegata fuerit. Pariter is qui ob paupertatem dispensatus est a constituendo titulo patrimonii quo sacros ordines suscipiat, manet ab hac obligatione solutus, etiamsi ante ordinum susceptionem fiat dives.

125. II. Revocatio dispensationis facta ab ipso legislatore est semper valida quia eandem obligationem quam abstulit, potest semper, saltem valide, iterum imponere. Excipe tamen casum quo obstaret aliud vinculum jam usu dispensationis contractum, ex. gr. vinculum matrimonii legitime inchoatum post sublatum impedimentum. Nec vota, semel per dispensationem sublata, per Superioris voluntatem reviviscere possunt.

Praelatus inferior qui, potestate vel ordinaria vel delegata, in lege Superioris dispensavit, ex. gr. episcopus in lege abstinentiae per Quadragesimam, potest illam dispensationem ex justa causa revocare; si tamen justa causa decesset, vel si dispensatio semel absolute concessa esset, puta ad tollendam irregularitatem, invalide revocaret. (S. Alph. n. 197)

III. Per renuntiationem a dispensato factam, effectu nondum secuto, cessat dispensatio, sed tantum quando renuntiatio a Superiore acceptata est. Si quis enim a legis vinculo solutus est, non nisi Superioris auctoritate iterum eodem ligari potest. Per se autem licita est talis renuntiatio nisi redundet in damnum alterius vel communitatis, in cuius favorem dispensatio concessa sit : nam per se unusquisque favoribus sibi datis renuntiare potest.

Nemo autem censendus est renuntiasse dispensationi eo quod per longum tempus, ex. gr. decennium, ea usus non est vel actum contrarium posuit, puta si dispensatus ad matrimonium ineundum cum Bertha, duxit Titiam. (S. Alph. n. 198)

Morte dispensantis non cessat dispensatio absolute concessa, quia gratia, etiamsi nondum ad ejus executionem processum sit, non perimitur morte concedentis (c. *Si super*, de Off. et potest. judicis delegati, in 6^o). Idem dicendum si concessa est *donec revocetur* vel *ad arbitrium Sedis Apostolicae* vel *episcopi*. Cessat autem si Superior dispensaverit *donec ei placuerit* vel *ad suum arbitrium*. (S. Alph. n. 197) Attamen etiam pro his posterioribus formulis potius standum est consuetudini, qua interdum prioribus aequiparantur, quam nativae verborum significationi. Cfr. Vol. II. n. 327.

CAPUT V.

DE CESSATIONE LEGIS.

126. Triplici ratione cessare potest lex ecclesiastica (nam de hac tantum directe agimus) : abrogatione, desuetudine, cessatione finis ob quem lata est.

I. Abrogatio legis in hoc consistit quod totius legis obligatio per ipsum legislatorem ejusve successorem aut superiorem tollitur. Hoc fieri potest vel simpliciter declarando legem jam vi obligandi carere, vel ferendo novam legem quae legi praesistenti sit *proorsus contraria*. Ita Romanus Pontifex abrogare potest omnes leges mere ecclesiasticas, etiam in Concilio generali latas. Cfr. n. 87 seqq.

Abrogationi affinis est *derogatio* qua Superior tantum unius alteriusve articuli obligationem tollit, reliqua lege robur suum servante.

127. II. Desuetudo, seu consuetudo contraria legi, ejus obligationem tollere potest; sed necesse est ut gaudeat debitis condicionibus, quae ad quattuor capita reduci possunt : ad communitatem, ad legislatorem, ad consuetudinem ipsam, ad tempus quo vigere debet. Cfr. praesertim Aichner, Comp. Jur. eccl. § 12.

1^o Ex parte *communitatis* requiritur :

a) Ut consuetudo vigeat in communitate quae saltem sufficiens sit ut ei vera lex, non tantum simplex praeceptum, imponatur. Hinc legem abolere potest consuetudo contraria vicens in aliqua dioecesi, in corporatione ecclesiastica, in peculiari hominum classe, ex. gr. clericorum vel judicum ; inefficax vero est consuetudo privatae familiae vel personae. Cfr. Reiffenst. in l. 1. Decr. t. 4. n. 110 seqq.

b) Ut consuetudo vigeat in majore communitatis parte : siquidem haec sola communitatem repraesentat.